

cipis literas integras etsi longiores, ne prorsus intereant, ascribere:

In Nomine Domini, Amen.

GLoriosus Deus in sublimitate, cujus providentia in sua dispositione non fallitur. Etsi suis fidelibus ad se veniendi multifarias virtutum vias Scripturarum alloquiis misericorditer decreverit demonstrari: inter omnes tamen sui divini Cultus ampliationem, & in eodem Religioso & exemplari Vita militantium affective conservationem, quælibet pro sibi concessis facultatibus modulo pro attingendo, quod ipse est, optato Bravio voluit indulgentius insudare, & licet cunctis ejus Ministris satisfaciat opulenter, quos tamen ingentior commendat meritorum excellentia, uberiore retributione plus respicit affluenter. Nos igitur **FRI-
DERICUS, DEI GRATIA, THURINGIÆ
LANDGRAVIUS, Misnensis & Orientalis
MARCHIO,** Dominusque terræ Pleisnensis, tenore præsentium publice recognoscimus, volentes, ut tam præsentis ætatis maturitas, quam futuræ successionis prosperitas, maxime autem quorum interest, seu interesse poterit, cujuscunque conditionis vel status existat hominum, non ignoret, quod hujusmodi promissis ducti, salutiferis monitis & exemplis carisque quondam solitis & piis Illustriss. D.D. & celebris memoriæ Prægenitorum nostrorum inherentes vestigiis, Ipsum **REGEM REGUM,** & intemeratam Virginem, omniumque Sanctorum Cœtum, in hac parte primordialiter venerantes, tandem devotis instantiis honorabilis Viri Abbatis Abbatia